

**DIES DECIMA QUARTA OCTOBRIS.
DE. S. CALLISTO SEU CALLIXTO PAPA
MART. ROMÆ.
ACTA MARTYRII**

AUCTORE ANONYM. ANTIQUO.

[1] Temporibus Macrini & Alexandri a divino incendio concremata est pars Capitolii Meridiano, & intra templum Jovis ruit manus sinistra aurea & eliquata est. [Incendium publicum & aliquos fulmine ictos,] Venerunt autem aruspices & sacerdotes ad Alexandrum, dicentes ut sacrificiis placarentur Dii eorum. Hoc audito jussit Alexander fieri petitionem eorum. Et dum sacrificarent, subito cælo sereno, mane die jovis, fulmine divino mortui sunt quatuor sacerdotes idolorum, & ara Jovis incendio concremata est: & factus est dies obscurus, ita ut omnis populus Romanus fugeret foras extra muros. Et dum dispergeretur populus per fugam, venerunt trans Tiberim in Urbem ad templum Ravennatum, & audierunt in quodam cœnaculo multitudinem Christianorum psallentem: [S. Palmatus adhuc ethnicus imputat Christianis,] inter quos erat Calixtus episcopus cum clero suo. Audiens autem hoc unus ex consulibus, e nomine Palmatus, multitudinem Christianorum collectam in quodam loco, nuntiavit Alexandro dicens: Magne Princeps, hoc signum ideo factum est, quia civitas sordescit. Si ergo purificata fuerit, gaudebimus simul de gloria culminis vestri & Respublica fulgebit. Alexander dixit: Purificetur. Tandem declara nobis, quæ est ista purificatio? Respondit Palmatus: Ut profani non sint. Alexander dixit: Qui sunt profani? Respondit Palmatus: Christiani. Alexander dixit: Ego præcepi semel atque iterum, ut ubicumque inventi fuerint, puniantur, aut offerant diis immortalibus libamina. Respondit Palmatus,

dicens: Per claritatem vestram ego audivi, cum tristis essem propter signum quod factum est, quomodo canticis & incantationibus in quodam loco clamaret in regione trans Tiberim multitudo Christianorum: unde non mirum, si causa hæc fecit hoc signum.

[2] [ad capiendum S. Calepodium mittit milites,] Dixit ei Alexander: Accipe potestatem, ut ubicumque eos inveneris, trahas ad sacrificandum, ad placandos Deos: aut certe exquisitis eos tormentis afflige. Tunc Palmatius accepta potestate, collecta multitudine militum, venit trans Tiberim, ubi collecta erat multitudo Christianorum cum S. Calixto: [quibus excæcatis,] inter quos erat Calepodius senex presbyter: & venientes in quoddam cænaculum, ingressi sunt decem milites: & cum ingressi fuissent omnes, hi decem milites subito cæci facti sunt. Respondit Calepodius senex presbyter & dixit: Filii mei, quem quæritis? Illi autem clamabant dicentes: Accendite nobis luminaria, quia obscuratus est ante nos locus iste. Dixit autem Calepodius presbyter: Deus qui videt omnia, ipse cæcavit oculos vestros. Tunc palpantes illi descenderunt cæcati. Hæc autem cum vidisset Palmatius, timore territus, fugiens nuntiavit omnia Alexandro. Eodem igitur die Alexander jussit milites, qui cæci facti fuerant, ut in conspectu suo ducerentur. Et dum cognovisset milites, cæpit clamare: O cives optimi! Videte artem magicam Respondit Palmatius, & dixit: Si per magicam artem istud factum est, ubi sunt virtutes deorum nostrorum? Jubeat itaque pietas vestra afferri & immolari diis, ne pereat respublica propter eorum incantationes. Et præcepit Alexander, ut immolaretur Mercurio, & responsa cognosceret. Emanavit autem præceptum universo vulgo, ut omnes ad capitolium accurrerent de Urbe Roma; [curat sacrificia offerri Mercurio:] ita ut qui inventi fuissent in habitaculis suis die Mercurii, omnes interficerentur; & misso præcone ita declaratum est, ut omne vulgus die Mercurii sine dilatione ad capitolium cum principe

conveniat: qui vero non accurrerit, capite puniendum se esse cognoscat. Occurrente die supradicto omnis populus Romanus ad capitolium accurrit. Palmatius quoque cum omni domo sua venit ad capitolium cum porcis & vitulis.

[3] Et factum est dum occisione pecudum effunderetur sanguis, [territus voce virginis,] & incantarent carminibus sacerdotes; virgo templi nomine Juliana, arrepta a dæmonio clamabat dicens: Deus Callixti, ipse est Deus vivus & verus: ipse indignatus est pollutionibus Reipublicæ vestræ, & conteret regnum mortale vestrum, quia non adoratis veritatem. Audiens hoc Palmatius, solus cucurrit ad S. Calixtum in regione trans Tiberim in Urbe Ravennatium; [accurrit ad S. Callistum baptizandus] & misit se præcipitans & introivit in domum ubi collecta erat multitudo Christianorum, & cecidit ante pedes S. Calixti, dicens: Cognovi Jesum Christum esse Deum verum, quem dæmones confessi sunt hodie: per ipsum te adjuro, ut liberares me a cultura dæmonum & lapidum: baptiza me sicut prædicas. Dixit ei Calixtus episcopus: Noli deridere errando veritatem. Respondit Palmatius cum lacrimis, dicens: Domine, non derideo: quia cognovi in cæcitate militum, & in responsione virginis, quia Dominus meus Christus tuus est. Respondit Calepodius senex & dixit ad beatum Episcopum: Beatissime Pater, petenti baptismum noli denegare. Eodem tempore indixit Jejunium ei uno die, & catechizavit eum: & allatam aquam de lympha putei, qui erat in eadem domo, benedixit: & deposito Palmatio in pelvim, dixit ei S. Calixtus Episcopus: Credis ex toto corde in Deum Patrem omnipotentem, factorem visibilium & invisibilium? Respondit Palmatius: Credo. Et dixit ei: Et in Jesum Christum filium ejus? Et iterum respondit: Credo. Et dixit ei: Et in Spiritum Sanctum, Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? Et exclamavit voce magna cum lacrymis Palmatius: Credo Domine. Eadem hora cœpit clamare & dicere: Vere vidi Dominum Jesum Christum verum lumen,

qui me illuminavit. Baptizavit autem & omnem domum Palmatii, [cum aliis, 42 ex sua familia:] & uxorem & filios, & promiscui sexus numero quadraginta duos. Ab eadem die cœpit Palmatius omnem facultatem suam pauperibus Christianis erogare, perquirens regiones & cryptas, ut ubicumque inveniret aut in custodia aut absconsos Christianos, de facultatibus suis victum vel tegumentum ministraret.

[4] [vinctus coram Alexandro,] Post dies vero triginta duos, requiritur Palmatius ab Alexandro, cui nuntiatum est, quia Christianus est, & aliis suadet. Tunc Alexander jussit eum præsentari. Qui cum tentus fuisset a quodam Torquato tribuno, & missus in custodiam Mamertini; post triduum indicavit Alexandro Torquatus, Palmatium in custodia mancipatum. Tunc Alexander gaudens jussit eum sibi præsentari. Et vinctus catenis Palmatius ingreditur ante Alexandrum. Quem cum vidisset, jussit eum solvi, & dixit ei: Sic amens factus es, o Palmati, ut deseras Deos, & quæras & colas hominem mortuum? y Palmatius tacuit. Dixit ei Alexander: Loquere fiducialiter: ne timeas. Respondit Palmatius dicens: Si datis licentiam, loquimur veritatem. Dixit ei Alexander: Excepta deorum injuria, loquere. Dixit ei Palmatius: Optime princeps, [profitetur fidem:] si advertas, non sunt dii, sed sunt factura hominum mortalium. Modo quidem cognoscat mansuetudo vestra, qui debent coli: qui fiunt aut fabricantur a mortalibus, quales sint, vos judicate. Sed precor ego infelix claritatem vestram: dicas deo tuo ut loquatur, & cum interrogavero, respondeat: & cum hoc factum fuerit, non desero deos tuos, quos tu dicis? Dixit ei Alexander: Et quomodo a cunabulis tuis istos adorasti, & modo relinquis eos? Respondit Palmatius: Feci quasi infelix: modo autem cognovi quod verum est, de qua re precor Dominum Jesum Christum, ut ignoscat mihi, quia ignorans peccavi. Eadem hora subridens Alexander, tradidit eum cuidam Simplicio senatori, dicens: Habe eum

penes te sine aliquo timore: & mollibus sermonibus revoca eum ad culturam deorum; talem enim hominem Respublica necessarium habet. Accepto Palmatio, Simplicius senator vestimenta nobilia allata induit eum, [traditur S. Simplicio senatori,] & duxit in domum suam. Qui Simplicius præcepit uxori suæ, & majoribus domus suæ, ut omnem domum Simplicii in sua potestate haberet. Tunc Palmatius jejuniis & orationibus vigiliarum vacans, non cessabat cum lacrymis Deum Patrem omnipotentem orare, & Jesum Christum filium ejus ut pœnitentiam ageret de errore suo.

[5] Veniens autem ad eum quidam Felix nomine, cujus uxor clinica jacebat annis quatuor in lecto, misit se ad pedes Palmatii, dicens: Confessor Domini nostri Jesu Christi exora pro ancilla tua uxore mea Blanda, ut liberetur de lecto doloris: & ego percipiam baptismum cum ea; quia diu est, quod morbo paralytico tenetur & jam facultas nostra defecit. [paralyticam sanat,] Tunc Palmatius, præsentem uxorem Simplicii, cecidit in terram, & cum lacrymis orare cœpit cum Felice dicens: Domine Deus, qui illuminasti servum tuum, da mihi lumen æternum Jesum Christum: salva ancillam tuam Blandam, & alleva eam de lecto doloris: ut cognoscant omnes, quia tu es creator omnium rerum. Eadem hora venit Blanda pedibus suis currens ad domum Simplicii senatoris & dicens: Baptiza me in nomine Domini Jesu Christi, qui tenuit manum meam & sanavit me. Tunc Felix cœpit urgere S. Palmatium ut baptizaretur. Eadem hora S. Palmatius misit ad S. Calixtum episcopum: & veniens baptizavit Felicem cum uxore sua Blanda. [baptizati SS. Felix & Blanda & S. Simplicius cum familia,] Videns hoc Simplicius, cecidit ad pedes Calixti dicens, ut cum omni domo sua baptizaretur. Tunc S. Calixtus episcopus fiducialiter dixit: congreget Dominus triticum in horreum suum, & catechizavit omnem domum Simplicii, & uxorem & filios & familiam ejus; animas promiscui sexus fere

sexaginta octo. S. Calepodius presbyter gaudio repletus, cœpit clamare in domo Simplicii, dicens: Gloria tibi Domine Jesu Christe, qui de tenebris dignaris ad lucem perducere facturam tuam, & de errore liberare. Hoc audiens Alexander, quia multitudo hominum baptismum percepisset per S. Calixtum episcopum, [capite plectuntur:] misit exercitum militum, ac tenuit omnes qui baptismum ceperant, quos præcepit capitis subire sententiam, & per diversas portas urbis Romæ capita eorum suspendi, ad exemplum Christianorum.

[6] [corpus S. Calepodii sepelitur in ejus cæmeterio.] Tenuit autem & S. Calepodium, quem fecit occidi gladio, & corpus trahi per civitatem sub die Kalendarum Maji: cujus corpus jactari fecit in Tiberim ante insulam Lycaoniam. In ipsis diebus fugit S. Calixtus cum decem clericis suis, & abscondit se in domum dd cujusdam Pontiani noctu, rogans piscatores quærere corpus S. Calepodii presbyteri. Quod inventum levantes de flumine, renuntiaverunt S. Calixto Episcopo. Tunc gaudio repletus est. Quod corpus Sanctum acceptum condivit cum aromatibus & linteaminibus, & cum hymnis, & sepelivit eum in cæmeterio ejusdem, ee sexto Idus Maji.

[7] Ab eodem die cœpit Alexander curiose quærere S. Calixtum Episcopum. [capitur S. Callistus,] Et divulgatum est ei, quod esset in domo Pontiani juxta urbem Ravennatum: misitque occulte trans Tiberim & tenuit eum: præcipiens ut in eodem loco fame cruciaretur. Qui tamen cum quarto die nihil victus accepisset, jejuniis & orationibus magis corroborabatur. Hoc audiens Alexander, jussit eum fustibus cædi omnibus diebus, & in eodem loco custodiæ mancipari, ut si quis ad eum noctu veniret, occideretur. Cumque multis diebus in custodia esset maceratus, venit ad eum S. Calepodius noctu per visionem, consolatus est eum dicens: Firmus esto, Pater: quia corona tua jam perfecta est: ut accipias a Deo

condignam laboris tui mercedem. Beatus autem Calixtus insistens orationi, non cessabat Dominum deprecari.

[8] [Privatum baptizat, demersusque in puteum] Erat autem ibidem quidam miles Privatus nomine, qui erat ulceribus plenus, & cruciabatur die ac nocte doloribus. Hic misit se ad pedes S. Calixti Episcopi dicens: salva me ab ulceribus meis: quia credo Dominum Jesum Christum Deum vivum & verum, qui sicut Blandam liberavit, potens est & me salvare; quia diu est quod consumor, in afflictione doloris mei. Respondit S. Calixtus episcopus dicens. Si credis ex toto corde, fili, & in nomine S. Trinitatis baptizatus fueris, mundaberis. Privatus miles respondit: Ego credo, quia liberat & salvat me Dominus in baptismo, per manum tuam. Tunc S. Calixtus eum baptizavit, & ita a vulneribus & morbo, quo tenebatur, mundatus est. Et cæpit clamare dicens: Deus verus & Sanctus est Dominus Jesus Christus, quem prædicat S. Calixtus Episcopus: quia idola vana & muta consumentur: Deus enim æternus est Christus. Quod iterum audiens Alexander, iracundia plenus, eo quod militem Privatum baptizasset, mittens fecit Privatum plumbatis cædi & deficere: Calixtum vero Episcopum per fenestram domus præcipitari, ligatoque ad collum ejus saxo, in puteum demergi & in eo rudera cumulari.

[9] Post dies vero decem & septem venit presbyter ejus, [honorifice tumulatur] nomine Asterius cum clericis noctu, & levavit corpus S. Calixti episcopi & honorifice sepelivit in cymeterio Calepodii via Aurelia pridie Idus Octobris. Post dies autem sex tenuit Alexander Asterium presbyterum: quem præcepit per pontem præcipitari. Cujus Sanctum corpus inventum est in Ostia, & a quibusdam Christianis sepultum in eadem civitate sub die XII Kalendarum Novembris. regnante Domino nostro Jesu Christo qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.